

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

12. Seruulus in morbo & morte cantans.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

476 Cap. XLII. Vigesima secunda morb. causs. hominum probatio.
sit hydropicus. hoc enim corpus, neque cum benè se haberet, mihi quid-
quam profuit, neque cum male, me laſit. Illis ergo octo mensibus facta
est illi sella latissima, in qua sedebat assidue, ut qui non posset in le-
cto accumbere; propter ea, qua sunt corpori necessaria. Cum autem
laboraret hoc morbo immedicabili, medebatur alijs, qui tenebantur
quibusdam agritudinibus. Necessarium itaque duxi, morbum
huius Sancti exponere, ne nobis alienum videatur, si viris justis aliquis
casus accidat. Egregio ergo illo viro mortuo, sublatum est limen ostij
& postes, ut posset corpus efferri ex cella. Tanta erat moles corporis
beati & incliti Patris Beniamini.

XII.

S. Gregor.
lib. 4. dial.
cap. 14.

Quantum hi tales bonum in morbis esse crediderunt, qui non
solum nulla contra eos remedia à dæmone, sed ne à Deo quidem
petiere? immò cum S. Romito doluerunt, quod non dolerent,
more consueto; aut etiam, tamquam pro maximo beneficio,
gratias egerunt? Plus dico, qui, tamquam inter delicias, &
velut cygni, morti proximi, latissimè cecinerunt? In Homiliis
quoque Euangeli iam narrasse me memini, ait S. Gregorius, quod
in ea portici, que cunctibus ad Ecclesiam beati Clementis est peruia,
fuit quidam Seruulus nomine, cuius te quoque non ambigo meminisse:
qui quidem pauper rebus, sed meritis diuines erat, quem longa agritudo
dissoluerat. Nam ex quo illum scire potuimus, usque ad finem vita
paralyticus jacebat. Quid dicam, quia stare non poterat, qui numquā
in lecto surgere, vel ad sedendum, valebat, numquam manum suam
ad os ducere, numquam potuit se in latus alius declinare? Huic ad
seruendum mater cum fratre aderat, & quidquid ex eleemosyna po-
truisset accipere, hoc eorum manibus pauperibus erogabat. Nequaquam
litteras nouerat, sed Scriptura sacra sibi met codices emerat, & Reli-
giosos quoisque in hospitalitatem suscipiens, hos coram se studiosè legere
faciebat. Factum est, ut juxta modum suum plenè sacram Scriptu-
ram disceret, cum, sicut dixi, litteras funditus ignoraret. Studebat
semper in dolore gratias agere, hymnis DEO & laudibus diebus ac no-
tibus vacare. Sed cum iam tempus esset, ut tanta eius patientia re-
munerari debuisse, membrorum dolor ad vitalia rediit. Cumq; iam
se morti proximum agnouisset, peregrinos viros, atque in hospitalita-
tem susceptos admonuit, ut surgerent, & cum eo psalmos pro expe-
ctatione sui exitus decantarent. Cumq; cum eis & ipse moriens psalle-
ret,

Cap. XLII. Vigesima secunda morb. causs. hominum probatio. 477
ret, voces psallentium repente compescuit, cum terrore magni clau-
moris, dicens: Tacete. Numquid non auditis, quanta laudes reso-
nent in celo? & dum ad easdem laudes, quas intus audierat, aurem
cordis intenderet, sancta illa anima carne soluta est. Quà scilicet
exeunte, tanta illic fragrantia odoris aspersa est, ut omnes, qui illic
aderant, inastimabili suavitate replerentur: ut per hoc patenter
cognoscerent, quòd eas laudes in celo suscepissent. Cui rei monachus
noster interfuit, qui nunc usque viuit, & cum magno fletu attestari
solet: quia, quo adusque corpus eius sepulchra traherent, ab eorum
naribus odoris illius fragrantia non recebat.

Hic odor etiam ad nos peruenire debet, ut morbos disca-
mus patienter tolerare, nec ad illicita remedia nos conuertamus.
Tunc etiam cum magno gaudio meritoque apud DEVm, & gra-
tulatione piorum hominum, victoriam ex hoste reportantes,
mortem expectabimus. Ad hoc nos exhortatur aureum os, his
verbis: Quòd si perduraueris paulisper, eos, qui vel incantationem
aliquam canere voluerint, vel applicationes aliquas adhibere corpori,
multa etiam cum contumeliatuis ex edibus ejeceris, protinus ab ipsa
conscientia refrigerationem acceperis. Etiamsi millies exurat febris,
anima tua quoque liquore, quoque irroratione meliorem, utilioremq;
mitigationem adducet. Quemadmodum enim postquam receperis in-
cantationem, sanusq; factus fueris, miserijs affectus es ijs, qui febre la-
borant dum tecum reputas peccati magnitudinem: sic nunc quoque
etiam si febricitaris, inumeraq; patiaris mala, repulsi impis illis, quo-
que sano melius affectus eris animo, gestiente pra gaudio conscientia, ac
laudante te, probanteq; ac dicente, euge euge, heus homo, CHRISTI
seruus, fidelis vir, at leta pietatis, qui malueris molestijs immori,
quàm deserere tuam pietatem proximo secundùm Martyres loco stabis
illa die. Quemadmodum enim Martyres praoptarunt cadi flagris, tor-
querique, ut ad honorem peruenirent; ita tu quoque hodie praoptasti
flagellari, torqueriq; à febri, ne abyces pietatem. Nam et si te non au-
ferat febris, alia prorsus auferet, & si nunc non moriamur, postea
moriemur. Et mox pòst. Cùm ejeceris incantationes multa cum
contumelia ex edibus tuis omnes hoc auditio collaudabunt, mirabun-
tur, & inter se dicent: Ille agrotans plurimis hortantibus, incantan-
tibus, consulentibus, ut magicis quibusdam incantamentis uteretur,

XIII.

S. Chrysoft.
orat. s. aduers.
Iudæos.